



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 3. De sinu Adriatico, seu Ionio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 2. *De Mari supero.*

MARE superum sic appellatum est, quod Italæ parti Boreali incumbit; quoniam apud Geographos Septentrio pars dicitur Superior, ut Meridies nominatur Inferior, nisi forte habeatur ratio Maris, aut maioris alicuius fluuij. De limitibus autem, & amplitudine maris superi tres inueniuntur sententiae.

Prima eaque communissima siculo Fretu mare Superum & Inferum diuidit. Ita ferè omnes Geographi, & Historici.

Secunda est Marciani Capellæ lib. 6. distinguenter duo hæc maria per urbem Hydruntē.

Terteria est Plinij lib. 3. cap. 26. per Iapygiam Prom. hæc maria distinguitur: qui tamen parùm constanter in hoc negotio videatur locutus; ut ante me Cluuerius obseruauit.

§. 3. *De Sinu Adriatico, seu Ionio.*

MARE supra Italiam terras subiens sinus Adriaticus, vulgo à veteribus dictus est, ab Scylace & Eustathio Ionius sinus. Quamquam Plinius & Mela primam eius sinus partem, seu Meridionalem Ionium, secundam & interiorem Adriaticum appellant. Iam illius fines consideremus.

De INITIO huius sinus quatuor sententiae reperiuntur.

Prima est Scylacis hunc Sinum inchoantis à Iapygiā, seu Salentino Promontorio, & montibus Acroceraunis.

Secunda Plinij lib. 3. cap. 11. inter Hydruntē & Apolloniam, vbi breuissimus ex Italiā in Græciam transitus, atque vbi Pyrrhus Epirota primū, deinde Varro Classis Pompeianæ præfectus iter pedestre, iactis molibus, continuare voluerunt.

Tertia Polybij assignantis Cocyntum Pro. hodie cabo de Stillo.

Quarta denique Ptolemaeilib. 2. cap. 17. & lib. 3. cap. 1. incipientis hunc Sinum à Gargano monte in Italia, & Lissō flumine in Illyride.

De FINE quatuor quoque leguntur sententiae.

Prima est Procopij 2. Gothicorum claudentis Ionium Sinum ad Ravennam.

P

Secunda Ptole. lib. 2. cap. 17. ad Fl. *Tilauemptum*, vbi intimum Adriatici Sinus recessum constituit.

Tertia est Plinij, & Strabonis ad urbem *Aquileiam*.

Quarta denique Melæ lib. 2. cap. 3. ad *Tergestem* urbem.

Porrò reperio eundem Sinum in tres partes diuidi: quā enim Italiae affunditur, *Italicum latus* dicitur: quā Illyridem lauat *Illyricum* ita Strabo: denique pars intima Sinus *Mare Aquileiense*, apud Dionysium nuncupatur Πόρτος Ανωνίος. Quod dixi de *Italico latere* intelliges apud Iustinum ad Fretum usque Siculum extendi, cūm ait lib. 22. Dionysium bellum mouisse in Græcos proxima *Italici maris litora tenentes*, Illyricum autem latus apud Scriptores mediae ætatis inuenio *Dalmaticum* dici.

§. 4. De Mari *Ausonio*, seu *Siculo*.

A L T E R A pars magni Maris à Prom. *Iapygia* in Meridiem *Ausonivm* mare priùs dicebatur, postea vero *Siculum*, vt ait Strabo lib. 2. Et *Ausonium* ab Ausonibus populis, quos tamen negat Strabo ad hoc mare habitasse. Alij Straboni repugnant, Nicander, Antonius Liberalis, & Suidas. Exinde autem Siculis in Siciliâ rerum potentibus dictum est *Siculum*, à Græcis, itēmque γλυκὰ γαλαζά ob dulces cibos, & lautitas per illud ex Græciâ & Asiâ subiectas, vt notat ex Athenæo Eustathius.

Huius autem Maris limites sunt ex Strabone, *ora Orientalis Siciliae*, pars Italiae à Freto *Siculo* ad Pro. *Salentinum*, exinde ad *Crete* Promontoria, & *Peloponnesum*.

Ifidorus in eo inuenit *Achaicum*, & *Epiroticum* mare. Nam lib. 13. cap. 16. Ionum diuidit in *Siculum*, *Epiroticum*, & *Achaicum*: sed Achaici nullus veterum meminit, Epirotici tantum Serulus in 3. *Æncid.*

§. 5. De Mari *Adriatico*.

A D R I A T I C U M mare, seu **H A D R I A T I C U M**, ut liqueat ex marmoribus, Poëtis *Adriacum*, *Adrianum Scymno*, Ciceroni, & Floro, antea **A T R I A C U M**, ait Plinius lib. 3. cap. 16. ab urbe *Aria* Colonia Tuscorum in paludibus, vulgo *Septemmaria-*